

enixe flagitabat. Postulatis Prorex tandem assensit, atque ut iter a Gallis tutum in Hispaniam foret, Annas Momorantius ad Ludovicam Regis matrem citato itinere profectus est, ejusque jussu sex e Massiliensi portu deductis trirēmibus, Regem, Lanojo comitante, ad Delphini portum (quod viginti pasuum millibus in orientali tractus Genuensis parte a Genua distat) offendit; inde mutato itinere, cum suis, sexque Gallorum trirēmibus ad occidentem Hispanias versus flexit, ac Barcinonem delatus, mox Madritum Franciscus perductus est.

1525

Franciscus
Rex Madri-
tum per-
ducitur.

Rege ex Italia in Hispanias advecto, magna Principum Italiorum immutatio subsequuta est, jactaque suspicionum semina in dies augeri cœpere: Italiae totius ad imperium Carolum aspirare. Cur enim, si id illi, ut maxime prædicabat, cordi erat, ut bellorum procellis agitatam provinciam, Christianamque rempublicam stabili, firmaque pace sublevaret, non statim æquis conditionibus Rex de Ecclesia optime meritus magnanimo consilio libertate donatus? cur tot itineribus emensis, in penitiora Hispaniae loca adductus; nisi ex illius libertate ingenitem auri vim, Galliarum partem, Italiae principatum adipisci in animo habeat? ac Regis ærumnis, & calamitate ad res suas amplificandas, extollendasque fortunas usurus sit? Jam enim fama pervulgatum erat, in sequentem annum, ut de more Augustali corona insigneretur, Cæsarem in Italiam venturum, atque nobilissimæ provinciæ statum ad libitum compositurum. Idque haud difficile Carolo fore plerique arbitrabantur; utpote qui Neapolitanum regnum obtineret, Insubres subegisset, intra viscera Italiae exercitum victoriae assuetum haberet; cuius nutum, ac potentiam minores Italiae Principes sequuturos; urbes, & oppida multa in suam potestatem redacturum; in iis milites, exercitumque distributurum; pecuniæ vim ingentem comparatum, qua & copias veteres continere, & novos delectus habere posset. Denuo itaque a Clemente, atque a Senatu consulitur, quanam potissimum ratione ab imminentium malorum formidine Italiam liberarent, metuque Italos solverent. Licet enim concordiam cum Cæsareanis Pontifex nuper iniisset; attamen rerum præteriorum memor, quas alte menti Imperatoris infixas esse non ab re verebatur, plus timendum ob insitam Regum, ac Principum ambitionem, dominandi-

H. Mauroceni T.I.

K que